

tione oppositio non est, sicut si esset una subsistentia esset Deus, et divina, eo modo tres subsistentiæ sunt divinæ, sed eadem divinitate, non distincta, et multiplicata, quia nec opposita: idem ergo erit de perfectione etiam generis relativi, quia in ea non exercetur oppositio.

Ad secundam confirmationem respondetur eodem modo, quod Personæ in quantum distinctæ, sunt perfectæ, sed non perfectione distincta, et sunt capaces identificationis cum essentia, quod utique maxima perfectio est, sed non per distinctam perfectionem sunt capaces, sed per eandem. Et quælibet Persona ut distincta habet hanc maximam perfectionem, et confert illam, sed non confert perfectionem distinctam a perfectione Patris, et adorantur atque amantur Personæ secundum quod plures non multiplicata perfectione, et bonitate etiam relativa, sed communicata, seu communi omnibus.

EXISTENTIA NON MULTIPLICATUR IN
RELATIONIBUS.

XXI. Ex fundamentis jactis facile poterit formari iudicium de aliquibus prædicatis, quæ aut transcendunt, aut illis annexa, et similia an multiplicentur ad multiplicationem realium relationum in Deo. Et occurrit primo existentia, quæ licet inter transcendentia non numeretur, cum in creaturis prædicatum contingens sit, tamen quia omne ens reale est capax illius, et si est extra causas, habet illam, merito de illa agimus, sicut de transcendentalibus quoad hoc punctum an multiplicetur in divinis.

Et supponimus ut certum, in Deo dari existentiam absolutam unam, quam male aliqui cum subsistentia confundentes, negaverunt dari in

Deo, sicut negant plerique dari unam subsistentiam absolutam, sed solum tres relativas. Sed de subsistentia quid sit, an concedenda vel neganda sit essentialiter in Deo, tamen de existentia nullo modo negari potest sine errore, cum nomine existentia intelligamus esse quod aliquid est extra nihil, et extra puram possibilitatem in actu; et sic se habet ut ultimum in ratione actus entitativi, quia ultimum quod intendit agens est esse, id est, ponere rem actu in se extra causas, vel extra nihil. Deus autem secundum essentiam suam absolutam est ens a se, ita quod seipso caret omni potentialitate, et est extra nihil; et sic existere in Deo non est prædicatum contingens, sed intrinsecum et essentialiter: ergo convenit essentia secundum absolutam rationem considerata, quæ est ens a se, et essentia existens essentialiter, et ratione sui. Et sic dicitur ipsum esse tamquam nomen proprium Dei: Exod. iv: *Ego sum qui sum: Qui est, misit me ad vos.*

XXII. Difficultas ergo est, an præter existentiam istam absolutam, qua essentia divina est ens a se, quælibet relatio, sicut est entitas realis distincta ab alia relatione, sit etiam distincta existentia relativa, ita quod sicut sunt tres entitates reales, ita sint tres existentia relative. In quo multi auctores, qui tenent existentiam non esse aliud, quam ens actu, et extra nihil, nec nisi per rationem distinguunt essentiam ab existentia, tenent etiam multiplicari existentias relativas, quia multiplicantur tres entitates reales, et actuales. Est sententia p. Suarez i tomo, iii p. disp. viii, sect. iii ad 1, disp. xi, sect. ii, disp. xxxvi, sect. i, et lib. iii de Trinitate, c. v, et lib. v, cap. ii, adjunctis his quæ docet disp. xxxi metaph. sect. iv, de indistinctione essentia, et existentia. Quam sen-

tentiam plures ex recentioribus sequuntur. Et m. Medina iii p. q. iii, art. ii, concedit tres existentias relativas ex alio fundamento, quia existimat non distinguere existentiam a subsistentia; et sic multiplicatis subsistentiis relativis, necesse est multiplicari existentias. Sed tamen modo supponimus existentiam non esse idem quod subsistentiam, sed diversos effectus formales habere; existentia enim ponitrem extra causas, seu extra nihil, subsistentia terminat, et complet naturam, ut sit per se, et non in alio, et si sit subsistentia completa, et supposita, facit incommunicabilem naturam. Similiter existentia invenitur tam in substantia quam in accidente, tam in substantiis completis quam incompletis, subsistentia solum in substantiis completis, seu per se existentibus: ergo non sunt idem.

XXIII. Contrariam sententiam tenent communiter illi auctores qui distinguunt essentiam ab existentia, et per existentiam totius sentiunt existere partes, et quidquid est in composito, etiam tenent in Deo non distinguere tres relativas existentias, sed unam essentiam divinam existentiam omnia divina existere. Et hoc sequuntur Thomistæ, qui sentiunt existentiam distinguere ab eo, cuius est existentia, nec multiplicari existentiam juxta quæcumque entitatum distinctionem. Hos auctores adduxi præcedenti tomo, disp. iv, art. iii, §. In ista difficultate. Et præterea ex auctoribus qui tenent existentiam non distinguere ab entitate actuali, adhuc in divinis negant juxta tres entitates relativas debere multiplicari existentias relativas, sed solum habere unum esse. Quod sentit Vasquez hic disp. cxxvi, cap. ii et iii; Ruiz disp. xxv, sect. iii et iv; Granados tract. v, disp. i, sect. iii, qui adducunt plures ex Thomistis.

XXIV. Hæc secunda sententia est plane D. Thomæ qui in questione viii de potentia, art. i ad 1, inquit: « In divinis nullo modo est esse, nisi essentia, sicut nec intelligere, nisi intellectus. » Et infra: « Nullo modo concedendum est quod aliud sit esse relationis in divinis, et aliud essentia; ratio autem non significat esse, sed esse quid, id est, quid aliquid est. » Ubi distinguit S. Thomas de esse quod est existere, et de essentia, seu quidditate, quæ est ratio, seu quid, et existentiam dicit, non esse aliam in relationibus, quam in essentia: sumit enim esse prout distinguitur a quidditate seu essentia, quæ est ratio. Et in questione ix de potentia, a. v ad xix, sic ait: « Nullo modo concedendum est, quod in divinis sit nisi unum esse, cum esse semper ad essentiam pertineat, et præcipue in Deo, cuius esse est sua essentia. Relationes autem quæ distinguunt supposita in divinis, non adducunt aliud esse super esse essentia, quia non faciunt compositionem cum essentia, ut dictum est. » Et concludit: « Diversitas ergo secundum esse sequitur pluralitatem suppositorum, sicut et diversitas essentia in rebus creatis. Neutrum autem in divinis. » Quo loco apertissime loquitur D. Thomas excludens distincta esse a relationibus distinguuntibus supposita in divinis, et unum tantum esse concedens. Et iii p. q. xvii, art. ii ad iii, cum proposuisset argumentum, quod in Trinitate quamvis sint tres Personæ, est tamen unum esse, propter unitatem naturæ, respondet, quod: « Quia Persona divina est idem, cum natura in Personis divinis, non est aliud esse Personæ præter esse naturæ; et ideo tres Personæ non habent nisi unum esse. Esset autem triplex esse, si in eis esset aliud esse Personæ, et aliud esse naturæ. » Sed si daretur in Personis aliud esse

ab esse naturæ, illud esse personale esset relativum: ergo si negat Personis triplex esse quod haberent, si distingueretur earum esse ab esse naturæ, negat eis triplex esse relativum. Nec potest hic responderi (quod aliqui dicunt) D. Thomam sumere *ly* esse pro subsistere, et hoc subsistere intendit quod sit unum in natura. Contra enim est, quia D. Thomas dicit, quod tres Personæ non habent nisi unum esse; si autem sumeret esse pro subsistere, falsa esset illa exclusiva, quia tres Personæ etsi sunt unum in una subsistentia absoluta, tamen vere sunt plures subsistentiæ relativæ: ergo sumit esse pro existentia, ut distinguitur a subsistentia. Et præterea falsa esset illa conditionalis, quando dicit, quod esset triplex esse in Personis, si in eis esset aliud esse personæ, et naturæ: faceret enim hunc sensum, quod esset triplex subsistere in Personis, si esset aliud esse personæ, id est, subsistere personæ, et naturæ, si quidem sumit esse pro subsistere; hoc autem omnino falsum est, quod esset triplex subsistere Personarum, si distingueretur esse personæ, et naturæ; nec enim ullam consequentiam hoc habet loquendo de subsistentia, cum modo sit triplex subsistentia relativa, etiamsi idem sit esse naturæ, et personæ, subsistere autem absolutum non ex hoc esset triplex; quia esse personæ distingueretur ab esse naturæ.

XXV. Fundamentum hujus sumitur ex duplici principio.

Primum est generale ex ipso conceptu existentiae secundum se, etiam ut communis est creatæ, et increatæ, licet applicetur majori vi existentiae divinæ.

Secundum est specialiter ex conceptu relationis ut opponitur, et distinguitur a suo correlativo, sub quo conceptu non possunt multipli-

care existentiam, quia hæc non opponitur, sed includitur in relatione quæ opponitur.

Primum principium explicatur sic. Quia existentia, seu esse non consequitur ad entitatem rei secundum se, aut quomodocumque consideratam, sed in rebus creatis sequitur ad entitatem juxta suum fieri, et produci, in divinis autem sequitur entitatem, ut est a se, non ut fit ab alio; quia existentia habet pro effectu formali ponere rem extra causas, et extra nihil; et sic consequitur ad entitatem non absolute, sed sub illa formalitate, qua egreditur a causis, scilicet sub ipso produci, vel sub ipso improduci, et esse a se. Unde ad ponendum unam existentiam, vel plures, non debemus attendere ad unitatem vel pluralitatem entitatum secundum se, sed prout ordinatur in uno fieri, et in uno produci, vel pluribus, et in uno esse a se, et increato, vel in pluribus. Et hæc est ratio quare in creaturis esse existentiae sit proprium suppositi, et in uno supposito solum sit unum esse, ut sæpius docet D. Thomas et nos ostendimus præcedenti tomo, disp. iv, art. iv, quia in creaturis id quod directe, et per se producitur, est ipsum suppositum, seu ipsum totum: partes enim non producuntur per se, sed comproducentur. Unde per seipsum suppositum habet esse, partes vero ex illo, aut in illo participant esse, et existunt. In Deo autem est e converso, quia id quod primo, et per se existit est ipsa essentia, quæ est ipsum esse, quia est ens a se, ita quod esse est prædicatum essentiale in Deo, atque adeo prius convenit ipsi essentiae, quæ tali prædicato constituitur, quam supposito, quod constitutam essentiam supponit, et terminat.

XXVI. Ex quibus conficitur argumentum ad non multiplicandum

existentias relativas, quia illæ plures existentiae relativæ, etiam ut plures, vel sunt existentiae creatæ, vel increatæ. Creatæ esse non possunt, alias Personæ essent entitates creatæ in quantum plures, et in quantum relativæ, si creatas existentias haberent, quod est hæreticum; et repugnat Deo quod aliquid intra ipsum existat per existentiam creatam. Increatæ autem existentiae si multiplicantur; ergo erunt tria esse increata relativa; et sic erunt tres increati substantive (in hoc enim sensu loquitur illa sententia, cum ponat tres existentias et non solum tres existentes) quod est contra illud symboli Athanasii: « Non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus. » Unde p. Suarez lib. III de Trinitate, cap. XII, num. III, non audet concedere in divinis tria increata, sed unum, quia esse increatum convenit ratione naturæ, et substantiæ, quæ consistit in ipso esse a se, et est suum esse per essentiam. Si ergo non debet concedi triplex esse increatum, nec triplex existentia increata relativa, quia *ly* relativa non diminuit de ratione increati. Et ratio est, quia existentia hoc ipso quod increata est, est ipsum esse a se, et ipsa essentia divina: ergo est prædicatum essentiale Dei, et non relativum, seu notionale: ergo repugnat multiplicari existentiam increatam prout relativam, et multiplicari in ratione increatæ existentiae, nisi multiplicetur in ratione ipsius esse a se, atque adeo in ratione actus puri.

XXVIII. Secundum principium explicatur sic: quia ut S. Thomas q. VIII de potent. art. I ad XII: « Esse, seu existentia, quæ convenit relationi nunquam est relativa, ut ad terminum, sed est ad se, vel ad subjectum. » Et in hoc contingit magna deceptio oppositæ sententiæ, et profunditas mira rationis D. Thomæ,

qui relationis existentiam dicit non esse ad aliquid, ita quod licet dici possit relativa entitative, quia existentia relationis est, non tamen oppositive; cujus rationem brevissime reddidit S. Thomas citato loco, dicens, quod: « Cum vel ratio sit accidens in creaturis, esse suum est inesse; unde esse suum non est ad aliud se habere. » Quod est dicere existentiam convenire relationi per ordinem ad subjectum, non per oppositionem ad terminum, quia existentia ejus est in subjecto, cum sit accidens inhærens, terminus autem non est subjectum relationis in quo ponitur, sed est id cui contraponitur. Quare existentia licet sit relationis, et hac ratione dici possit relativa, nontamen est relative opposita, ita quod licet conveniat ipsi ad relationis (quod reale est) non tamen constituit in eo ad, sed in, nec ipsa induit oppositionem ad, quia non se habet erga terminum, sed positionem in, quia se habet erga subjectum. Si ergo existentia rationis non opponitur, nec tendit ad terminum, sed inhæret subjecto, existentia relationis non tangitur principio distinctionis, quæ est oppositio relativa, sed principiis unitatis, quæ est fundamentum, et subjectum. Unde cum in divinis relatio non sit inhærens ut accidens, sed subsistens, et ad se, multo magis existentia ejus non est relativa per modum ad, nec per modum oppositionis; et sic non distinguitur, nec multiplicatur, quia non opponitur correlative, licet afficiat, et constituat relationem in ipsa entitate subsistente. Et sic cum careat oppositione, licet multiplicetur realitas relativa, et in ratione ad, non multiplicatur existentia, quæ ipsi ad convenit ut inhærenti vel subsistenti, quia intra ipsum ad ut reale, imbibitur in.

XXVII. Quod amplius confirmatur et explicatur, quia relationes in Deo

habent sibi identificatam ipsam essentiam divinam, quæ est ipsummet esse per essentiam: ergo ex tali identificatione sibi intrinseca existentes redduntur esse illo perfectissimo, et increato quod est actus purus. Et istud esse quo per identificationem redduntur relationes existentes, et in se positæ in actu non multiplicatur quantumcumque relatio correlative, et oppositive multiplicetur, quia hoc est mysterium Trinitatis, quod essentia quantumcumque intrinseca, et essentialiter in relationibus imbibita, ipsis multiplicatis non multiplicetur: ergo vere, et proprie, et intrinsece redduntur relationes existentes, et in actu positæ, etiam per existentiam non multiplicatam, sed unam essentialem, et sibi identificatam. Ad quid ergo necesse est superaddi tres existentias in illis tribus realitatibus, quæ per unam non multiplicatam, sed sibi identificatam supponuntur existentes? Aut quem effectum formalem faciunt tales existentie in relationibus, quæ existentes supponuntur in vi suæ intimæ essentiae, et esse sibi identificati? Et urgetur hoc, quia quando esse illud essentiae ita imbibitur, et identificatur relationibus, quod reddit illas existentes, sed tamen relationes ipsæ non possunt eam dividere, et multiplicare oppositione sua, inquiri, existentie illæ divisæ, et multiplicatæ, quæ ultra hoc esse identificatum resultant, suntne existentie ejusdem rationis, puritatis, et actualitatis, ac ipsa existentia communis, et essentialis, aut non? Si sunt ejusdem actualitatis, et puritatis, sunt ipsummet esse actus puri essentialis, et repugnabit eodem modo multiplicari atque ipsum esse secundum se. Si non sunt, ergo non sunt existentie increatæ, et divinæ, sed inferiores, quia aliquid minus de actualitate habent, quam ipsum

esse Dei. Ubi autem est minus seu diminutio, creatum est, non divinum. Existentiæ autem creatæ exulare debent a Deo, et ab ejus Personis.

XXIX. Unde solvitur fundamentum contrarium, quod solum innititur multiplicationi entitatum realium in Deo, quæ sine multiplicatione existentie stare non potest, cum existentia non sit aliud quam entitas in actu; et sic cum sint plures entitates in actu illæ relationes, erunt plures existentie. Nec est intelligibile quod multiplicentur realitates in ratione ad, et illa realitas, ut multiplicata, sit nihil; ergo ut multiplicata, est extra nihil: ergo multiplicatur existentia, sicut multiplicatur ly extra nihil: esse autem extra nihil, effectus formalis est existentie.

Respondetur realitates multiplicari, sed non actualitates, quibus illæ entitates actuales dicuntur, quia ut aliquid sit realitas, sufficit quod sit capax existendi in actu per propriam vel adjunctam, et identificatam actualitatem: quomodo cumque enim aliquid existat in actu, aut sit capax existendi, hoc ipso non est nihil, sed reale ens, quia nihil neque est actu ens, neque capacitatem habet existendi, neque existit ratione sui, nec per aliquid adjunctum sibi, sed omnino repugnat existentie. Quod autem existit, vel per se, et per propriam existentiam, vel per adjunctam, et identificatam realitas est. Unde potest multiplicari realitas, non multiplicata existentia, dummodo omnes realitates sub illa existentia sint, et cum illa identificentur, vel ei subordinentur. Et cum instatur quod existentia est ens actu, concedimus, et multiplicantur plures entitates in actu, distinguo; multiplicantur ex parte epositionis correlative, concedo; ex parte actualita-

tis, nego; sed sic multiplicatæ afficiuntur eadem actualitate comprehendente omnes, et per eandem actualitatem sibi identificatam, et communicatam omnes afficiuntur, sicut eadem divinitate omnes tres relationes sunt divinæ, et increatæ intrinsece, etiam in ipso ad. Nec est inconveniens eadem forma aut termino vel existentia affici plures partes aut entitates, quæ in unum ordinantur, aut alias identificantur, sicut eadem subsistentia omnes partes compositi terminantur, et eadem forma informantur plures partes in homine, et eadem existentia existunt, ut late probavimus præcedenti tomo, disp. iv, art. iv. Et sic multiplicari potest effectus formalis inadæquatus, et partialis, una existente forma adæquata, quæ omnes illas partes, et inadæquatos effectus complectitur, sicut eadem anima indivisibilis, et spiritualis tam multos effectus in esse animati, et vitalitatis præbet, ut in carne sentire, in oculis videre, etc. Sic ab eodem esse divinitatis, et essentia est a se, et absolute, et relationes existunt etiam ut multiplicatæ, per communicationem tamen, et identificationem ejusdem esse.

Et ad ultimam instantiam, quod si sunt tres realitates, sunt tria extra nihil, et multiplicatur ipsum extra nihil, concedimus. Ad consequentiam: ergo multiplicatur existentia, nego. Et ad probationem, quod esse extra nihil, est effectus formalis existentie, concedo; sed multiplicato hoc effectu formali, scilicet esse extra nihil multiplicatur forma, distinguo; si multiplicatur effectus formalis adæquatus, multiplicatur forma, concedo; si multiplicatur effectus inadæquatus tantum, nego. Esse autem extra nihil in tribus relationibus est effectus formalis inadæquatus ipsius esse divini, non adæquatus. Nam esse divinum com-

plectitur genus relativum, et absolutum, et ab eodem esse utrumque genus constituitur in actu puro. Unde sumendo solum relationes, seu genus relativum in Deo non habet omnem effectum adæquatum illius formæ, quæ est existentia divina. Et sic licet multiplicetur effectus ille formalis, qui est esse extra nihil in relationibus, quatenus sunt tres reales entitates, non tamen est necesse multiplicari formam, quia illi effectus inadæquati sunt respectu ipsius, sicut etiam ab eadem actione possunt plures effectus inadæquati procedere. Et sic non inferunt multiplicationem formæ, seu existentie, sed identificationem ejusdem formæ, cum illis tribus relativitybus, quia talis perfectionis, et infinitatis est, ut omnes illas realitates complectatur.

Quæ diximus de existentia, dicendum est de duratione, quia duratio est ipsamet existentia prout non discontinuata. In quacumque tamen sententia non est multiplicanda æternitas, etiam dato quod multiplicetur existentia vel duratio, quia æternitas non dicit durationem tantum, sed uniformitatem durationis per modum mensuræ immutabilis. Hæc autem uniformitas eadem est in omnibus illis durationibus, quia eadem est immutabilis.

VERITAS, BONITAS, INFINITAS, SANCTITAS, NON MULTIPLICANTUR.

XXX. De veritate dico primo: Non multiplicatur veritas in tribus Personis, ita ut sint veritates, nec formales nec transcendentales. De veritate formali, quæ est veritas in cognoscendo, aut in dicendo non est controversia, quia talis veritas consistit in notitia, seu actu intellectus intelligente, et manifestante, seu dicente. Actus autem intelligendi